

ognis gnarus, hæc perpendens, confessum non fateatur, incassum  
objici Catholicorum dogmati, de quo agimus, auctoritatem Irenæi,  
utique summe venerandi viri: sed in ordine promotionis Justorum, ut  
evidentissime patet, inania & incredibilia solum proferentis; Quod  
satis interim futurum est nobis, ne ille quidem negat, quin suo  
tempore aliter alii sentirent, & putarentur recte credidisse, hoc est alii  
Catholici, qui Papæ phantasmatis rejectis Animarum Justarum Bea-  
titudinem in Cœlis anticipandam credebant. Immo S. Episcopus alibi  
agnoscere videtur, Animas Martyrum; quos veros Christi testes Ec-  
clesia tantum Catholica ostendere potest, post mortem in Coœlesia  
Regna recta ferri. Sribit enim Lib. iv. cap. 64. sive cap. 33. §. 9.  
in Edition. Cl. P. Massuet: *Quapropter Ecclesia omni in loco ob eam,*  
*quam habet erga Deum dilectionem multitudinem Martyrum in omni tempo-*  
*re præmittit ad Patrem.* Similia protulit Lib. iii. cap. xvi., olim  
xvii. de Innocentibus pro Christo occisis, inquiens: *Propter hoc V'*  
*Pueros eripiunt, qui erant in domo David bene sortiti illo tempore nasci,*  
*ut eos PRÆMITTERET in suum RÉGNUM; ipse Infans quum esset,*  
*Infantes hominum Martyres parans.* Si vel solas Martyras Animas in  
Cœlum mature profectas habemus (quæ plane tunc erat communis  
Ecclesiæ sententia, ipsiusque Irenæi mens suisse videtur) nihil aliud  
opus est, ut totum ipsius S. Viri, simulque Burneti ædificium per  
se solvi ac ruere intelligamus, ut supra ostendi cap. vi. Theoremate  
Secundo. Sed quam melius egisset Burnetus, si Irenæum potius con-  
suluissest Lib. v. cap. 20. ubi hæc ejus verba? *Ecclesia quidem prædi-*  
*catio vera V' firma, apud quam una V' eadem salutis via in universo*  
*Mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, V' propter boe*  
*Sapientia Dei. Ubique enim Ecclesia prædicat Veritatem. Qui ergo relin-*  
*quunt præconium Ecclesiæ, imperitiam Sanctorum Presbyterorum arguant.*  
*non contemplantes, quanto pluri sit idiota religiosus a blasphemio V' im-*  
*pudente sophista. Tales sunt autem omnes Hæretici; V' qui se plus aliquid*  
*præter Veritatem inventire putant. Opinionem de Millenario Regno, ac*  
*retardata Sanctorum Beatitate, fatetur idem S. Vir, ab aliis sui ævi*  
*Catholicis improbatam suisse.* At quod est ad dogma *Infallibilitatis*  
*Ecclesiæ, impositumque Fidelibus de ea audienda, ejusque decretis*  
*amplectendis præceptum: id veluti ratum, omniumque Catholicorum*  
*consensu probatum Christianæ Religionis principium S. Irenæus com-*  
*pluribus aliis in locis confirmat atque inculcat; ita ut si is temporibus*  
*nostris vixisset, primus, Millenario errore deposito, in senten-*  
*tiam Ecclesiæ Catholicæ concessurus fuisset. Interim ex ipsius S. Præ-*  
*fusilis diserto suffragio habemus Burnetum Hæreticorum albo inscriptum,*  
*ipsumque Irenæum in hac ipsa quæstione alio saltē ex latere nobis*  
*militantem.*

Ad Tertullianum quod attinet, exploratum est, pro Millenaria  
fabula & ipsum stetisse, ac mirandum prouinde non esse, si ad Judi-  
cium extreum, immo & post somniatum illud Mille Annorum

Re-